



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **YAMUSSUKROËNSIS** IN LITORE EBURNEO  
NOVA CONDITUR DIOECESIS

**YAMUSSUKROËNSIS NOMINE** Ad aptius prospiciendum spirituali bono atque regimini  
Christifidelium degentium intra fines Buakensis Ecclesiae in Eburneo Litore, Venerabiles Fratres  
Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi,  
re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuerunt nuper ibidem novam condendam  
esse dioecesim. Nos vero, de universo Dominico grege solliciti, eandem sententiam habentes  
ratam, haec summa Apostolica potestate decernimus. Ab Ecclesia Buakensi distrahimus  
territorium districtus civilis « Yamussukro » nuncupatum, ex eoque novam condimus dioecesim  
Yamussukroënsis appellandam, quam metropolitanae Sedi Abidianensi suffraganeam facimus  
atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea huiusce  
novae dioecesis sedem in urbe vulgo « Yamussukro » statuimus ibique exstans templum Sancti  
Augustini, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis  
vehimus. Cetera autem secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducatur  
ad exitum Venerabilis Frater Ianuarius Bolonek, Archiepiscopus titulo Madaurensis et in eadem  
Natione Apostolicus Nuntius, vel ab eo delegatus sacerdos, factis necessariis facultatibus. Re  
quidem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, rite  
mittantur. Has denique Litteras ratas sive nunc sive in posterum esse volumus, contrariis  
quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Martii, anno  
Domini millesimo nongentesimo nonagesimo altero, Pontificatus Nostri quarto decimo.

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost. s.n.*

---

© Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana